

nonem et Eumenidas continet, Agamemnonis autem maximam partem sola, deficiente Mediceo. redeunt quos statim describam codices admodum recentes EFGTr ad unum exemplar in Eumenisin mutilum (desunt v. 582—644 et 778—807, hi propter homoeareton), corruptum illud et interpolatum, sed e M minime descriptum. quod qui adfirmabant, turpi levitate quomodo res in triade se haberet omnino non quaerebant. in qua fundamentum quidem textus familiae Q est, nec tamen desunt, ubi contra Φ et Q cum M faciat. nimirum grammaticus Byzantinus hanc recensioem confecit, usus exemplis compluribus, sicut P et Triclinius fecerunt; quem grammaticum ut Thomam esse credamus multa sunt quae suadeant. sed Thomas in triade se continuit. possis igitur suspicari auctam esse triadem Thomanam duabus tragoediis e M sumptis. quod scholiis veteribus a Triclinio servatis luculentissime refutatur, cf. Ag. 1672, Eum. 54, 560 (ubi M glossam in textu collocavit). utrum genuinum, $\xi\omicron\iota\kappa\epsilon\nu\ \omega\varsigma\ \kappa\acute{\upsilon}\omega\nu\ \epsilon\ddot{\upsilon}\rho\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\nu\alpha\zeta\eta\tau\epsilon\acute{\iota}\nu$, vetus scholion apud Triclinium Ag. 1093, an $\xi\omicron\iota\kappa\epsilon\nu\ \omega\varsigma\ \kappa\acute{\upsilon}\omega\nu\ \epsilon\ddot{\upsilon}\rho\iota\sigma\kappa\omicron\iota\ \acute{\alpha}\nu\alpha\zeta\eta\tau\epsilon\acute{\iota}\nu$ Medicei? quod scholion quamvis olim editum obstinatae superstitionis asseclae omnino neglexerunt. piget referre quibus argutiis efficere temptaverint, ut Ag. 297 $\pi\epsilon\delta\acute{\iota}\omicron\nu\ \acute{\alpha}\sigma\omega\pi\omicron\upsilon$ coniectura factum videretur e $\pi\alpha\iota\delta\acute{\iota}\omicron\nu\ \omega\pi\omicron\upsilon$ Medicei. Ag. 190 $\xi\acute{\upsilon}\mu\phi\rho\nu\alpha\ \tau\alpha\gamma\acute{\alpha}\nu$, in M corruptum in $\tau\acute{\alpha}\nu\ \gamma\acute{\alpha}\nu$, ipse Dindorfius etsi vitii metrici insimulabat, propius a vero abesse fateri debebat: coniecit enim $\tau\alpha\gamma\acute{\omega}$. addo ex Eum. 959 exemplum non minus luculentum. M praebet $\kappa\acute{\upsilon}\rho\iota\ \acute{\epsilon}\chi\omicron\nu\tau\epsilon\varsigma$; requiritur „potestatem habentes“. atqui hoc Graece dicitur $\kappa\acute{\upsilon}\rho\omicron\varsigma\ \acute{\epsilon}\chi\omicron\nu\tau\epsilon\varsigma$; illud nec dixit quisquam nec poterat dicere. quid FTr? $\kappa\acute{\upsilon}\rho\iota\epsilon\varsigma$, monstrum vocabuli, quod nec errore nec coniciendo ex isto $\kappa\upsilon\rho\iota$ nasci poterat. imo duplicem lectionem agnoscimus leviter deformatam, $\kappa\upsilon\rho\iota$, praeoptatam a Mediceo, et $\kappa\upsilon\rho\epsilon\varsigma$ i. e. $\kappa\acute{\upsilon}\rho\omicron\varsigma$, quam nos coniciendo praeceperamus. etiam falsam lectionem $\delta\upsilon\sigma\alpha\chi\theta\acute{\epsilon}\varsigma$ Eum. 145 antiquitus traditam esse Hesychii testimonio confirmatur. sed fatendum est tales margaritas perraras esse in ingenti errorum et interpolationum sterquilinio. cavendum igitur ne codicibus nuper iniuria plane contemptis auctoritatem iam tribuamus, quam non merentur. quos nunc enumerabo.

F. Laurentianus 31, 8 usurpatus iam a Victorio, Florentinus Hermannii, saec. XIV, vergente, opinor, parum nitide scriptus. varias lectiones ipse scriba simul cum textu scripsit, alia manus sera intulit appinxitque scholia metrica, olim edita, quae sprevi. codex ipse a Triclinianis liber est, quibus manus altera usa esse videtur, sed non